

ho. matutinam piè moritur cariss. pater meus Nicolaus Paselick in ædib. suis Rostochij.

21 mars. Visa sunt Vitembergæ, et in multis alijs locis ad ripam Albis tria parelia quadrante ante horam 8. matutinam, et continuo vsque ad horam 9. conspecta sunt. anno. 1551.

24 mars. Redij in patriam, ex longa, et difficiili peregrinatione, cum clariss. viro, d. D. Valentino Geerdes, quem Amstelredami inueneram. Anno 1554.

25 mars. Hoc die, Anno 1579. antiqua et grauis ista dissensio, quæ fuit inter Serenissimum Regem et regnum Daniæ etc. ab vna, et Duces Slesuici et Holsatiæ etc. ab altera parte, in conuentu et tractatione Otthoniensi, foeliciter est composita.

27 mars. Anno Domini 1560. cum à Serænissimo Daniæ rege Fride-  
rico 2. ad inuictiss. Principem Ferdinandum Rom: Imp. Legatus missus essem.  
Hoc die coram ipsius sacra Imp. Maiestate nomine sereniss. Regis, et Iohannis,  
et Adolphj Holsatiæ etc. Ducum oratoris officio functus sum. :

31 mars. Iterum audiuit me Viennæ in Austria solus in cubiculo suo  
sacratis. Rom: Imperator Ferdinandus primus, Serenissimi Daniæ etc. regis  
Friderici 2. mandata proponentem, et perclmenter mecum est collocutus, re-  
motis omnib. Consiliarijs ad integrum horam. Anno 1560.

4 april. Hoc die, quo in hebdomada sancta, celebratur memoria in-  
stitutionis coenæ DOMINI nostri, IESV CHRISTI Anno 1588. pie admodum et  
placidè, ex hac mortali et ærumnosa, ad beatam et æternam vitam emigravit,  
Serænissimus, Potentissimus ac Optimus Princeps et Dominus, Dominus Fride-  
ricus 2. Daniæ et Noruegiæ Rex etc., Dominus meus clementiss. ac beneficen-  
tissimus, In castro vel monasterio Maiestatis suæ, Anduuorschouf, AEtatis suaæ  
54. Regni vero 29, anno. Cuius funus, postea die 24. Mensis Maij, amplissimo  
cum comitatu inde Ringstadium, ac deinceps, Roschildiam deductum, denique  
die 20. 5. Mensis Junij<sup>1</sup>, Regia solennitate in templo cathedrali Sancti Lucij  
nostri, sepulturæ mandatum est, ac reconditum.

8 april. Hoc die anno 1560. Viennæ in palatio sacratissimi Romanorum  
Imp. Ferdinandi primi, nomine Sereniss: regis Daniæ etc. Friderici 2. et Ioannis  
et Adolphi Illustrissimorum Holsatiæ Ducum etc., inuestituram super ducatu  
Holsatiæ, Stormariæ, et Dithmersiæ, me orante petiuimus et impetrauimus, ego  
et collegæ mei, viri nobiles, Albertus Truchses, et Hinricus von der Wisck,  
Fuit is actus publicus, et pro more Principum Romani Imperij, valde solennis,  
Cui interfuerunt Imperator tanquam Dominus feudi directus, cum filio Carolo  
Archiduce Austriae etc. et multi viri principes, comites, et regum et Principum  
Legati. Impetrauimus etiam ab ipsius Cæsarea Maiestate in ea legatione,  
confirmationem eorum, quæ Rex et Duces anno superiore cum Dithmariensib.  
in bello foeliciter gesto diplomata fecerant. Sit Deus benedictus in secula.

Nascitur Coldingæ Illustrissima Princeps Domina Augusta etc. filia Sere-  
nissimi et optimi Regis nostri hora 10. ante merid: Anno 1580.

<sup>1</sup> Rättat från Maij.

12 april. [Hieronymus Schurf, I. V. Doctor] Mortuus Francofordiæ ad Viadrum, anno 1554.

22 april. Hoc die pridie Georgij. Anno etc. 80. in Curia Otthoniensi, instituta est, ex voluntate Regiæ Maiestatis, Domini nostri clementissimi, cum Nobilitate nostra, tractatio, de filio Maiestatis ipsius, Domino Duce Christiano, in Principem et futurum Daniæ etc. Regem eligendo. Quod consentientib. totius Nobilitatis suffragijs, factum et comprobatum statim fuit. DEVS, qui dat salutem Regib. et Optimum Principem et Florentissimum Regnum conseruet et tueatur.

28 april. Veni in scholam Gryphesualdianam anno 1547 in qua sub disciplina Magistri Sigismundi Schörckels Naunburgensis, biennium versatus sum, vsus mensa d. Ioan: Schonefelts Secre:

Baldus Perusinus, moritur Papiæ anno 1400. hoc die in aurora. Vidi ipsius sepulchrum, et epitaphium in templo S. Francisci.

1 maj. Dominica Cantate, Anno etc. 80. Serenissimus Rex noster, cum Illustrissimis Principib. ac Dominis, Domino Iohanne seniore, Domino Adolfo, et Domino Iohanne iuniore, Slesuuici et Holsatiæ etc. Ducib., cum splendissimo(!) comitatu Nobilitatis Danicæ ac Holsaticæ, vrbem Otthoniam foeliciter ingressus est: ad actum inuestituræ, super Ducatu Slesuuicensi, et insula Imbria celebrandum.

3 maj. ♂. Hoc die, anno 1580. institutus et foeliciter celebratus fuit, maxima cum celebritate et frequentia, actus solennis inuestituræ, Otthoniæ, in Palatio, vel tabulato, sub diè, ad eam rem erecto ac adornato. In quo, Serenissimus ac optimus Rex noster, Illustrissimis Principib. Patruis, Domino Duci Iohanni seniori, Domino Adolfo fratrib., nec non Domino Iohanni iuniori, Slesuuici ac Holsatiæ etc. Ducibus, cum publica traditione et proiectione vexillorum in feudum contulit, Ducatum Slesuuensem et insulam Imbriam prestito et accepto primum ab ipsorum Celsitutinib. homagio, vel fidelitatis iuramento, ea forma, sicut anno superiore, inter ipsius Maiestatem, et Principes in transactione eo in negocio constituta, conuenerat.

8 maj. Hoc die, qui fuit dies Louis post Dominicam Cantate, anno 1572. in puncto horæ 7. post merid., nascitur Hafniæ chariss. filius meus Nicolaus, nonus in ordine liberorum nostrorum. Hunc ex sacro fonte leuarunt tanquam Christianitatis testes, Ioachimus de Iasmundt Rugianus, Doctor Nicolaus Hemmingius, Rector academiæ Hafniens. et Doctor Paulus Matthiæ Episcopus Sialandiaæ. Et domina Metta Rosencrantz domini Petri Oxenij, Palatij Regij Magistri, vxor, et Dorothea, filia Sanderi Leiel, vxor Iohannis Olaui Consulis Hafniensis. Domina Metta Rosatos duos, Doctor Nicol. nummum aureum, typum veteris et noui testamenti referentem et talerum antiquum reliquerunt Rosatum singuli donum dederunt.

10 maj. Hoc die paulo ante horam 4. matutin: anno 1560. nascitur cariss. filia mea Cathrina, Hafniæ in Sialandia.